7

et eius loco Conradum instituit. Deinde exercitum parat,
ut Romam veniat. Sed papa facta processione et
proposito verbo Dei, de Federico querelam Romano
proponit populo, quia favere videbatur, et perse-
cutionem a) ecclesie, et capita apostolorum Petri et a) persecutione c.
Pauli tenens in brachiis se ait illa non posse
defendere absque populi Romani virtute, in cuius
se protectione ponebat. Sed cum devoto clamore popu-
lus devotionem promittit. Quo audito Federicus
cum exercitu retrocessit eodem anno.

(MCCXXXI° cum vero papa concilium Rome congre-
gare vellet contra eundem Federicum, ille per
suos complices vias claudit. Unde et duos cardinales
cepit missos pro subsidio ecclesie, dominum ~~[struck]~~ dūm
Iacobum Penestrinum ad regem Francie et Odo-
nem in Angliam, cum pluribus prelatis per naves
Pisanorum et apud Melfim mittuntur. / Iacobus
rex Aragonum magna sui suorumque strenuitate
bellando contra Saracenos cepit insulas Baleares
que Maiorica et Minorica vocantur. // Fernandus
quoque rex Castelle exercitum parat contra regem
Granate ipsumque sibi tributarium fecit in
M barbotinis auri qualibet die, quod multo du-
ravit tempore, usque videlicet ad tempora filii regis Alfonsi.
// Tartari etiam eodem anno subiugatis orientalibus
partibus ad boreales et occidentales se conferunt,
in duo se agmina dividentes, unum Ungariam et Polo-
niam intrat ex parte Russie circa ripam maris